



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de

Tolosae, 1614

Creati A Pavlo II. quem Philelphus Epistolâ quadam sua ad Xistum 4. non
solùm à maleuolorum calumniis depurgat, sed & Sanctissimum
Po[n]tificem fuisse commonstrat ex facili, quicquid ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

prosequente hic conditus. Xisti quarti Pontif. Max. beneficio.
Vixit annos 57. menses 6. dies 2.

CREATI A PAVLO II.

quem Philephus Epistolâ quadam sua ad Xistum
4. non solum à maleuolorum calumniis de-
purgat, sed & Sanctissimum Pötificem
fuisse commonstrat ex facili, quicquid
maledicentissimus Platina pro-
cacibus scriptis, auaritiâ
dictante, blateret.

THEODORVS LELIVS ex Episcopo Taruisino
Cardinalis, obiit ante adeptum pileam, moribundoque
affuit Paulus 2. qui piis adhortationibus & signis cha-
ritatis, vrgentē mali vim temperare conatus est, scripsit
Apologiam fœderis Venetorum & Sigismundi
Auftriaci.

Gratulationem pro Pio 2. ad Venetiarum Ducē.
Orationes quinque, videlicet.

1. Ad Regem Francorum pro Pio 2. de defensione
Iustitiæ Inuestituræ Regni Siciliae.
2. Ad eūdem Regem pro defensione fidei Catho-
licæ & præsidio contra Turcas conferendo.
3. Contra Hussitas & de iusto Anathemate Sigif-
mundi Auftriaci & Palatini.
4. Ad Burgundiæ Ducem pro acceleranda expe-
ditione in Turcas.
5. Aduersus Sigismundum Auftriacum pro restitu-
tione Præpositi Brixiniensis. Quæ omnia extant
in Bibliotheca Cardinalis Sirleti.

Epistolas multas & elegantes nomine Pauli 2. & suo etiam quædam ad Papiensem Cardinale, Philelphum, & alios.

Grammaticam cuius meminit Bibliotheca vniuersalis.

Et scripta quædam aduersus Gregorium Heimbürgium. Romæ iacet in æde S. Marię nouæ cum hoc Epitaphio.

Theodoro Lelio Taruisino Episcopo, diuini humanique Iuris consultissimo, ac Pauli 2. Pontificis Max. Referendario, qui vixit annos 37. menses xi. dies 22. Gaspar Lelius faciendum curauit. 1466. pridie Kal. Aprilis.

THOMAS BOVRCHERIVS Anglus Cardinalis & Archiepiscopus Cantuariensis, quædam scripsit, vt refert author Catalogi scriptorum Angliæ. Obiit anno 1489. Cantuariæ sepultus.

MARCVS BARBVS Venetus, Pauli 2. Patruelis ex Episcopo Vicentino Cardinalis doctissimus, vt ex Philelphi & Marsilii Ficini Epistolis ad eum datis liquet, scripsit

De Cœlibatu libros 2. vt notat Eifengrein.

Epistolas, quibus Onuphrius Panuinius in historia Ecclesiasticâ conscribenda vsus est.

Orationemque in Consistorio habitam, cum ex Húngarica Legatione remearet.

Præterea latinè reddidit è græco Eloquium Patriarchæ Constantinopolitani, ac Responsum de fide Catholica ad Quæstiones Mahometis Turcarū Imperatoris, & S. Dyonisii Areopagitæ opusculum. Romæ iacet in æde S. Marci cum hoc Epitaphio.

*Marcus Barbus Cardinalis S. Marci, Patriarcha Aquile-
iensis ita sibi viuens fieri voluit. Orate pro eo Dominum. O-
biit anno salutis 1490. die xi. Martij. Oliuerius & Fran-
ciscus Cardinales executores B. M. posuerunt.*

FRANCISCVS DE RVVERE Sauonenfis ord. Mi-
norum Cardinalis qui postea Sixtus Papa 4. Patauii, Bo-
noniæ, Ticini, Senis, Florentiæ & Perusii Theologiæ
professor Cathedrarius, prælegendi onus vtiliter sump-
sit, supremamque claritatem consecutus, nihil omni-
nò de studiorum labore remisit. Scripsit reconditæ eru-
ditionis typis admotas lucubrationes.

De Sanguine Christi.

De futuris contingentibus.

De potentia Dei.

De Conceptione Beatæ Virginis.

Conciliationemque S. Thomæ & Scoti; validis
rationibus probans eos in sententiis conue-
nire, etsi verbis discrepent. Romæ iacet in
Basilica S. Petri Vaticana cum hoc Epitaphio

*Sixto quarto Pontifici Maximo ex ordine Minorum, doctri-
nâ & magnitudine animi; omnis memoriæ principi, Turcis Ita-
liâ summois, auctoritate Sedis auctâ, urbe instauratâ templis, pon-
te, foro, viis, Bibliothecâ in Vaticano publicata, Iubilæo celebrato,
Liguria seruitute liberatâ, cum modicè ac plano solo condi se man-
dauisset, Iulianus Cardinalis patruo bene merenti, maiore pietate
quàm impensâ faciendum curauit; Obiit Idibus sextilis hora ab
occasu 5. anno Christi 1484. Vixit annos 70. dies 22. horas 12.*